

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXIV.


[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S. D. Reverende & Clarissime vir, praeceptor

& amice colende.

Ὅσα ἡμεῖς ἕως ἄρτις ὑποκρίσασθαι ἠδύνασθαι ἄξιον, quam mihi gratæ & dulces fuerunt tuæ literæ, proximis Calendis Maji datæ. Ex quibus te pristinam & paternam erga me benevolentiam & fidem multis illustribus testimoniis hæctenus toto vitæ meæ tempore declaratam conservare perspexi. Subverebar enim, quia secus ac oportebat, & alium, quàm nos expectabamus, exitum habuisset consilium de migratione a me isthuc suscipienda, ne fato quodam meo, isthuc etiam, amici veteris, quem te habebam præcipuum, voluntas immutaretur. Grariam itaque tibi, quantam maximam animus meus capere potest, habeo & habebo in omni æternitate, quod benevolentiam erga me tuam imminui & labefactari nunquam passus es. Rursus autem in Academiam vestram, quæ ut Athenæ olim *πύλον ἰσθμῶν* dicebatur: ita hodie in tota Germania, rectæ & felicitis adolescentum institutionis magistra & exemplar est, ex hac ditione tres adolescentes nobiles mittuntur. Quos ut tibi præcipuè commendarem, diligenter à me Joachimus Crusius, vir nobilis & principum nostrorum consiliarius præcipuus, petivit, qui tuus olim in Academia Wittebergensi amicus & convictor fuit. Oro igitur, ut paterna fide & benevolentia tua, omnibus bonis & studiosis exposita, hos etiam adolescentes, Joachimum, Victorem, & Bernardum à Wangelino, complectaris, & de hospite ac præceptore privato fideli ac industrio ipsis prospicias & in parentum locum succedas. Sumptus necessarios mater & tutores tempestivè isthuc mittent. Nec dubito de hac re tota copiosius ad te scripturum esse Joachimum Crusium, qui hesternæ die ostendebat, se veterem amicitiam tecum per literas velle renovare. Schola nostra, post tristes pestilentia ac belli calamitates, mediocriter restituta est: tametsi plurimos vicinarum civitatum incolas oppressio libertatis publicæ alienaverat: Eam nunc Imperatoris Majestas missis Commissariis restituere conatur. Hi cum principibus nostris hodierna die tractationem inchoarunt. Quam ut gubernet filius Dei ad suam gloriam & salutem publicam, toto cum pectore precor. Bene & feliciter vale. Gultrovia, die 4. Julii, 1567.

David Chytræus.



CXXIV.

S In Christo. Reverende & Clarissime vir, & ut tu quidem vis, Frater: ut ego autem te abs me appellandum existimo, Pater in Christo honorande. Cum Argentina die 17. Julii à vobis discessissem, ejusdem mensis die 19. Stugdardiam feliciter

liciter redii, deducente Deo, comitantibus angelis. Cumque eo ipso vespere Illustrissimus Princeps noster ex venatione Rechenshoviana huc redisset, altero statim die Celsitudini ipsius librum tuum una cum literis per idoneum hominem reddi curavi. Quæ quidem Princeps ita clementer accepit, ut vix elapso biduo decreverit deliberandum esse, & quid tibi esset respondendum, & quod vicissim tibi mittendum munus honorarium. Ac mox cum ex literis tum ex munere intelliges, nec Principis animum abs te factum esse, quam olim, alieniorem: nec librum tuum vel materia ipsa vel tractatione Principi fuisse ingratum. Sed neque hoc dissimulavit Princeps (quod Argentinae etiam tibi dicebam, nunc verò constantius affirmare possum) se neque sciente neque volente factum esse, quod quidam librum tuum suppresserit & quasi sepelire conati fuerint. Et laudat perseverantiam tuam, & constantiam Argentinensium, operatque inter vestram & nostram ecclesiam hunc consensum esse perpetuum & indissolubilem. Verum hæc & similia malo te intelligere ex literis majoris ponderis, hoc est, Principis, quæ ad te ipsius nomine scribentur, quam ex meis. Porro quas tu 21. Julii ad me dedisti literas, eas ego cum falce librorum quarto post die, qui S. Jacobo Majori sacer est, sub multam noctem à Feliciano accepi. Et D. D. Osiander quidem suum exemplar jam accepit, ea gratitudine atque observantia, quam ex Feliciano cognoscēs. Domino Erentio peregrè in suo Bulaco absentem suum apud me reservabitur: nec dubito, quin ei sit futurum munus tam gratum, quam quod gratissimum. Frater meus M. Balthasar & ipse domo abest, in comitatu Principis venationi operam dantis circa Kirchænum & Nipham, loca subalpina. In qua ipsa venatione Princeps noster non ita est confingendis cervis occupatus, quin avidè legendo libro tuo sit occupatior, neque enim minus cupidè eum devorabit, quam priorem illum tuum de sacratissima cœna æditum. Scio autem fratrem meum in hoc esse elaboraturum, ut intelligas, donum tuum apud ipsum non malè collocatum. Et quanquam Liber tuus sua se majestate & utilitate satis superque commendabit: poterit tamen commendatione concionatoris aulici commendatior fieri apud eos, apud quos id fieri & tuæ & totius ecclesiæ interest. Ad me quod attinet, ego cum pro literis tuis humanissimè ad me scriptis gratiam habeo: tum verò pro exemplari abs te mihi donato Argentinæ me totum tibi debeo: ac nunc etiam gratiam spondeo Præceptoris, Collegæ, fratris, quibus tribus abs te dono missa esse exempla vel hoc uno nomine gaudeo, quod mihi meo exemplo jam tanto liberius, frequentius, & sine intermissione uti fruique liceat, quod alioquin omnibus à me commodato dari oportuit. Bene ac feliciter in Christo vale, Pater & frater colendissime, & quod facis, Pancratium meum tibi commendatum habe. Uxorem tuam honestissimam ex me salutabis peramanter, reverenter item ac officiosè Dominos & fratres meos charissimos, Flinnerum, Speccerum, Florum, Negeleinum, Thomam, Offnerum, Geslerum, Grinerum: Cumprimis verò D. Erythræum & Kyberum, quorum omnium humanitatis & postremi convii Theologo

logici, nunquam quoad vivam, obliviscar. Rursus in Domino valete & gaudete semper. Datae Stugdardiae, 26. Julii, Ao. 67.

T. R.

totus ex toto animo addictissimus

Wilh. Bidenbach, D.

CXXV.

Salutem in Domino.

Magna voluptate, Reverendissime vir, Clarissime Domine Doctor, audiivi nuper, D. D. Wilhelmum, Collegam meum charissimum, prolixè recitantem, quam insigni humanitate à Reverentia tua, aliisque viris amplissimis ac integerrimis, Argentinae exceptus esset hospitio: Qua vestra singulari benevolentia propensum erga Wirtenbergicam Ecclesiam & Rempubicam animum, de quo apud nos nunquam fuit dubitatum, egregie declarastis. Talem vicissim esse nostrorum erga Ecclesiam & Rempubicam ac Scholam Argentinensem affectum, non est quod tua R. unquam dubitet. Pro qua animorum pia conjunctione DEO optimo maximo gratias agimus immortales. Quod autem tua R. non contenta me per D. D. Wilhelmum salutare, etiam dono præclari sui operis dignata est, id mihi multo est gratissimum. Tuæque R. gratias habeo maximas non tantum privatim pro dono optimi libri, verum etiam totius Ecclesiae Christi nomine, cui fidelem, utilem & gratam operam hoc labore in se recepto præstitit. Tamen enim causa nostra satis firmo sacrarum literarum fundamento nititur, tamen vehementer gaudeo, excitatum esse à Domino talem Antagonistam contra Cinghianos, qui non modo sacrarum literarum testimoniis eos oppugnat, verum etiam illorum vanam jactantiam confundit, qua de perpetuo veteris Ecclesiae consensu (in stabiliendo suo impio dogmate) gloriantur. Soliti enim sunt hæcenus, quoties idonea propugnando suo errori arma ex scriptura sacra expedire non potuerunt, ad scripta Patrum, ad Testimonia ac consentum Ecclesiasticorum scriptorum & eruditæ vetustatis, (ut ipsi loquuntur) tanquam ad novum aliquod armamentarium, tela inde contra nos prolaturi, confugere. Spero igitur iis, quibus veritas & doctrinae puritas sunt cordi, hoc tuæ R. scripto abundantissime esse satisfactum: ac precor DEUM, ut huic erudito & sancto labori clementer benedicat, quo quam maximum emolumentum inde ad ipsius Ecclesiam redeat. Hæc de publicis: nunc ad privata descendamus. Commendavi olim tuæ R. Kistnerum quendam, Guntzenhausenem (qui hæcenus Argentinæ bonis literis incubuit) meum cognatum, si fieri posset, ut in Wilhelmiticum monasterium reciperetur: postea ex pueri literis intellexi, à tua R. sibi factam bonam spem propter meam commendationem, fore, ut brevi ipsius rebus consulereetur. Ejus parens, pro-